

Intentio h  
cum fonte primo

Vt interior oculus uere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria: caritatem in intentione et ueritatem in electione.

Quomodo denique simplex erit oculus cum ignorantia ueritatis.

Est qui bonum diligit et malum nescius agit; huius bonus est quidem oculus quia pius, non tamen simplex quia caecus. Et est qui bonum et libenter agit et prudenter intelligit. Istius uero oculum non immerito simplicem dixerim, utpote cui neutrum bonum desit, nec zelus scilicet bonus nec scientia.

Is uere oculus nequam est qui peruersus pariter et caecus bonum agit et malum credit.

Bernardus de praecepto et dispensatione.

Ego uero,  
ut interior oculus uere simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria: caritatem in intentione et in electione ueritatem.  
Nam si bonum quidem diligit, sed uerum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: et nescio quemadmodum iudicio Veritatis uera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad ueram instruere discipulos simplicitatem magistra Veritas: ESTOTE, inquit, PRUDENTES SICUT SERPENTES ET SIMPLICES SICUT COLUMBAE. Praemisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret.  
Quomodo denique uere simplex erit oculus cum ignorantia ueritatis,  
aut uero uera dici potest simplicitas, quam simplex ignorat ueritas?

Bernardus Claraeuallensis, *Liber de praecepto et dispensatione*, 36 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.279, ll.3-12).

Est qui bonum diligit et malum nescius agit: huius bonus quidem est oculus, quia pius, non tamen simplex, quia caecus. Et est qui bonum et libenter agit, et prudenter intelligit:  
istius reuera oculum non immerito simplicem dixerim, utpote cui neutrum bonum desit, nec zelus scilicet bonus, nec scientia.

Bernardus Claraeuallensis, *Liber de praecepto et dispensatione*, 38 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.279, ll.27-31).

Si igitur, ut iam ad propositam quaestiunculam reuertamur,  
is uere oculus nequam est, qui peruersus pariter et caecus bonum agit, et malum credit,  
utique recte operando, sed opinando inique, bonum sibi in malum uertit, et tantum malum, quantum crediderit, quandoquidem, iuxta Domini sententiam, totum corpus tenebrosum reddit oculus nequam.

Bernardus Claraeuallensis, *Liber de praecepto et dispensatione*, 41 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.281, ll.8-12).